

CAPVT OCTAVVM.

De Inventione loci siue capacitatis inter Cælestes Planetarum circuitus, ubi Cometa curriculum suum commodè absoluerè potuit, deq; Hypotheseos constitutione, qua ipsius apparens motus quamproximè excusatur.

EX quo itaque citra omnem controuersiam manifestum hæctenus euasit, hoc nostrum Phænomenon nihil cum Elementari Mundo commune habuisse, sed longè Luna sublimius prorsq; Æthereum ostentasse incelsum, ipsa etiam Cauda respectu certi Astri planè Olympicam perpetuò conseruante Analogiam; residuum nunc, apprimèq; consentaneum videtur, vt ei certum etiam locum in ipsius Ætheris amplissima capacitate deputemus, quò constare possit, inter quos Secundi mobilis Orbes, iter suum direxerit. Æthereus siquidè mundus incredibilem vastitatè complectitur, adeò vt si Elementarem hunc à centro Terræ ad proximos Lunæ limites atsumserimus Semidiametrorum Terræ 52 proximè (quarum qualibet habet 860 nostratia vel Germanica miliaria communia) continebitur in reliqua Secundorum mobilium capacitate, vsque videlicet ad extremam Saturni Stellæ à Teris remotionem, bis centies tricesies quinquies. In quo vastissimo interstitio septem Planetæ suas admirandas & penè diuinas motuum periodos indefinenter exercent; vt nihil dicam de immensa illa Octauæ Sphæræ distantia, quæ proculdubio Saturni remotionibus supremis ingenti intercapedine sublimior est; itaò, si Copernici Hypothesibus fides necessariò adhibenda foret, id quod Saturnum & Fixa Sidera intermediat spatium, aliquoties Solis à Terra distantiam (quæ tamen tanta est, vt Elementaris Mundi Semidiametrum circiter vices vincat) excederet. Alias enim Terræ in Orbe magno

A A

annua